



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. VI. Explicantur quædam antilogiæ seu contradictiones apparentes, quæ
in variis Scripturæ locis reperiuntur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebraeo in Latinum divinas Scripturas convertit, cuius tantum litterarum laborem Hebraei fatentur esse veracem. Eundem S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. ita prædicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebraeo eloquio cuncta verius transdixisse dicat, atque idcirco dignissimam esse cui fides in omnibus habeatur. Sanctus quoque Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 5. Presbyter (inquit) Hieronymus, trium linguarum peritissimus, ex Hebraeo in Latinum eloquium, divinas Scripturas convertit, eloquenterque transdixit, cuius interpretatio merito ceteris anteponitur. Unde Sophronius, vir eruditissimus, S. Hieronymi translationem, non Latinis modo, sed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium & Prophetas ex Hieronymi versione, in Græcum eleganti sermone transtulerit, & Damasus Papa voluit illam in communem Ecclesiæ usum introduci, ut refert Platina in ejus vita. Merito igitur Concilium Tridentinum sessione 4. speciali decreto vulgata editionem, ut authenticam habendam esse declaravit, his verbis: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere, quovis prætextu audeat & presumat.*

16. Hiæ colliges, Scripturam Sacram vulgatæ editionis, esse regulam fidei infallibilem, non verò textum Hebræicum, quem nunc habemus, aut versionem septuaginta Interpretum.

Prima pars patet, Scriptura enim Canonica est infallibilis regula fidei; cum enim sit inspirata & dictata à Spiritu Sancto, necessariò vera est in omni sensu, quem Spiritus Sanctus intenderit; unde Christus ipse Joan. 5. Judæos ad eam provocat, dicens: *Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et Augustinus libro 2. contra Donatistas cap. 6. *Non asseramus* (inquit) *stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve est, sed asseramus divinam stateram de Scripturis Sacris, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Sed Scriptura Sacra vulgatæ editionis, authentica & canonica est, ut definivit Tridentinum: Ergo illa est infallibilis regula fidei.

17. Secunda verò pars suadetur: Nam licet textus Hebræicus veteris testamenti, fuerit quidem initio plane divinus & authenticus, quia Hebræis Hebræicè primùm & originaliter traditus fuit, ab iisque ad Græcos & Latinos derivatus, manseritque integer & authenticus, usque ad Christi tempora & Apostolorum, qui passim Hebræos Scripturas citantes, nunquam admonent de corruptione; imò & usque ad tempora Hieronymi (communiter saltem) qui ex Hebræo Scripturam vertit, ut sapiens ipse testatur, & speciatim in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: At nunc certum est non esse divinum & authenticum, absolute & universaliter, ob varias corruptiones & depravationes, quæ in eo factæ sunt. Nam Biblia fuerunt punctis à Judæis vitata, id est pun-

ctorum, quæ apud Hebræos sunt loco vocalium, additione perperam facta à Rabbini infidelibus, & Spiritu Sancto destituti, ac ne inter se quidem contentientibus, anno post Christum natum 514. Deinde infictia linguæ Hebræicæ, quæ à multo tempore non adeo fuit communis, & affinitas summa quarundam litterarum Hebræicarum, causa fuit cur aliæ pro aliis litteræ substituerentur, & interdum duæ dictiones in unam conjungerentur, aut in duas una divideretur, cum magna sensus variatione, ut multis exemplis ostendunt Genebrardus in Psal. 4. Galatinus libro 1. de Arcanis cap. 8. & alij.

Probatum etiam tertia pars, quæ asserit versionem Septuaginta quam nunc habemus, non esse regulam infallibilem fidei; licet enim cum primùm talis versio ab illis edita est, fuerit Scriptura Canonica, modò tamen authentica non est, quia in multis fuit vitata & corrupta, ut variis exemplis probat Hieronymus Jonæ 3. Et licet primùm emendata fuerit à Cardinali Ximeno Hispano Compluti, & postea Romæ à Sixto V. operâ quorundam Cardinalium, & doctissimorum hominum; non fuit tamen per istas emendationes ad integram suam puritatem restituta: unde Sixtus nullum edidit decretum, quo illam editionem authenticam esse declararet: Ergo licet illa magnæ sit autoritatis in Ecclesia, non est tamen regula infallibilis fidei, sicut vulgata editio.

S. VI.

Explicantur quedam antilogiæ seu contradictiones apparentes, quæ in variis Scripturæ locis reperiuntur.

Hæretici ut Scripturæ Sacræ autoritatem & infallibilitatem eludant, eamque non esse fidei nostræ infallibilem regulam suadeant, obijciunt quedam Scripturæ loca, quæ videntur esse contradictoria, atque adeo falsa ex aliqua parte; duorum enim contradictoriorum, unum est verum & alterum falsum. Hujusmodi sunt quæ sequuntur: Genesis 1. dicitur, Deum sex diebus mundum creasse: At Eccles. 18. asseritur ipsum simul omnia creasse: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Item Genes. 1. dicitur quod lux creata fuit in prima die: quod etiam apparet falsum, quia lux creata fuit cum Sole, cujus productio dicitur facta quartâ die. Ibidem etiam cap. 32. Jacob Patriarcha sic ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* & tamen Exodi 20. Deus sic loquitur: *Non videbit me homo & viveret.* Eodem capite protestatur Deus se visitare iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam generationem; cujus contrarium asseritur Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Præterea 3. Regum 8. dicitur quod in arca nihil aliud erat, nisi tabulæ testamenti; & tamen Apostolus ad Hebræos 9. affirmat quod etiam erat ibi manna, & virga Aaron quæ fronderat. Ulterius Job cap. 7. suæ historię asserit se peccasse, nam alloquens Deum, sic ait: *Peccaavi, quid faciam tibi o custos hominum?* contrariumque asserit cap. 27. dicens: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Dicitur etiam cap. 1. & 2. ejusdem libri: *In omnibus his non peccavi Job, nec stultum aliquid locutus est labiis suis;* & postea cap. 39. idem Job dicit de seipso: *Leviter locutus sum;* & infra: *Unum locutus, sum quod usinam non dixissem;* & cap. 42. *Inspiciem locutus sum.* In quibus locis apert-

ta videtur esse contradictio. Denique in novo testamento quaedam sunt loca, aliquam contradictionis speciem habentia: nam Joan. 20. Maria Magdalena dicitur venisse mane ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent: At contra Marci 16. *Venit ad monumentum orto jam Sole.* & Matthaei 28. *Vespere autem sabbati, quae lucebat in prima sabbathi, venit Maria Magdalene videre sepulchrum.* Item Roman. 3. Paulus sic loquitur: *Arbitramur justificari per fidem, sine operibus legis:* Jacobus vero cap. 2. suae Epistolae Catholicae contrarium videtur asserere, his verbis: *Videatis quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Plura alia loca, contradictionis speciem habentia, colligunt Magister Cano libro 2. de locis Theologicis, cap. 2. Jansenius in concordia Evangelistarum, & Beccanus cap. 3. de fide, quae 8.

20. Ad primum respondeo particulam simul, eo loco accipi pro *aquae*, seu *pariter*, sensumque Ecclesiastici esse, quod Deus sit *aquae* omnium creator, licet multa successively creaverit. Sicut cum dicitur Psal. 48. *simul inspiens & stultus peribunt*, sensus est quod pariter peribunt, non autem quod eodem tempore, vel eodem instanti.

21. Ad secundum dicendum cum D. Thomas 1. parte quae 67. art. 4. ad 2. quod substantia Solis & lucis fuit producta prima die, sed quasi informis, quae postea quarta die formata fuit, & determinata ad particulares effectus in Sole, ideo dicitur creata quarto die. Verba ejus sunt: *Dicendum est, ut dicit Dionysius, quod illa lux, videlicet quae prima die creata est, fuit lux Solis, sed adhuc informis. . . . sed postmodum data est ei specialis & determinata virtus ad particulares effectus.*

Aliter hunc locum ibidem dubio 2. interpretatur Bannez: ait enim quod Sol quarta die creatus dicitur, non quod tunc secundum substantiam creatus fuerit, sed per recapitulationem, quia videlicet iterum refertur creatus, ut inter alia sydera annumeraretur illud quod praclarissimum est: sicut ob eandem rationem, productio mulieris, quae revera sexto die facta fuit, narratur a Scriptura post finem omnium dierum.

22. Ad tertium dico, Jacob loqui de familiari visione, sub specie externa: Deum autem in Exodo loqui de visione suae essentiae in seipsa, quae justis non conceditur nisi post mortem.

23. Ad quartum respondeo, Deum in Exodo loqui de poena temporalis, apud Ezechielem vero loqui de poena spirituali privationis gratiae, & damnationis aeternae, de qua ibidem ait: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur:* illa enim poena in filios derivatur, non vero ista, excepto peccato originali, de quo non est ibi sermo.

24. Ad quintum dicendum quod in arca erat distinctio quaedam, ita ut aliquid posset esse in medio arcae, & aliquid ad latus, ut colligitur ex Deuteronomio. 13. ubi dicitur: *Tollite librum istum, & ponite in latere arcae,* & illud latus non vocabatur arca communiter. Igitur in medio arcae nihil aliud erat, nisi tabula testamenti, & sic verificatur id quod habetur 3. Regum 8. in latere autem erat virga Aaron, urna aurea cum manna, & ita verum est quod affirmat Apostolus ad Hebraeos 9. qui latiori vocabulo accepit arcam, prout non solum medium, sed etiam latera complectitur: unde in illis locis nulla est contradictio.

25. Ad sextum dicatur, quod quando Job cap. 1. ait, *Peccavi*, loquitur de aliquo peccato levi quod commisit ante illam tribulationem, cum

Tom. IV.

A vero postea cap. 27. dicit: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea,* loquitur de peccato in re gravi, praecipue de peccatis illis quae sibi obiecebantur ab amicis.

Ad aliud quod ibi subjungitur, respondent aliqui apud Pinedam, cap. 39. & 42. citatis, quod licet Job in principio suae tribulationis, in verbis suis non peccaverit, etiam venialiter (in quo sensu verificatur illud quod dicitur cap. 1. & 2.) tamen postea aliquod peccatum, licet leve, commisit, defendendo nimis suam innocentiam contra amicos, vel dum de judicio Dei conquerebatur. Unde verba illa, quae Job ait, nimirum se leviter & insipienter locutum esse, referunt primo ad id quod dixit cap. 6. *Vinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris haec gravior appareret:* vel secundo ad id quod ait cap. 7. *Elegit suspendium anima mea:* vel tertio ad illud quod dixit cap. 9. *Si flagellat, occidat:* vel denique ad id quod habetur cap. 13. ubi sibi promittens certam victoriam ex judicio Dei, dixit: *Scio quod inveniar justus in judicio.*

Nihilominus D. Gregorius excusat Job a peccato veniali, & verbis inordinatis, & ait quod cum dixit, *Leviter & insipienter locutus sum*, loquebatur comparative ad Deum, apud quem omnes ejus excusationes & querimoniae erant stultitiae, & locutiones leves: sicut apud ipsum omnes nostrae justitiae peccata vocantur, & dicuntur esse sicut pannus menstruatus. Isaia 64. quamvis re ipsa peccata non sint. Potest etiam dici, quod verba Job, stultitiae & peccata vocantur, non quod revera peccata essent, sed quia habebant aliquam speciem & apparentiam mali, praeter nimio dolore cruciatum quos patiebatur. Unde D. Thomas in commentariis ad cap. 38. ipsum excusat, & dicit solum excessisse in modo loquendi.

Ad septimum ex novo testamento desumptum, respondeo Magdalenam domo profectam esse, dum adhuc tenebrae essent, & pervenisse ad monumentum, orto jam Sole. Vespere autem Sabbathi, quae lucebat in prima Sabbathi, significat auroram diei dominicae, quae vocatur prima Sabbathi, id est prima dies post Sabbathum. Vesper enim auroram ibi significat, ob stellam antelucanam, quae Venus appellatur & Vesper, ut exponit Baronius ad annum Christi 34. Quamvis alij per *Vespere* intelligant partem extremam noctis, quae tota apud Hebraeos vespere interdum vocatur. Alij malunt, Magdalenam, & alias sanctas mulieres, sapientius ad sepulchrum venisse.

Ad ultimum dico, Paulum loco citato solum velle, hominem non justificari per opera quae sunt per legem, sive naturalem, sive Moysaica, seclusa gratia Christi; sed per fidem, non informem, sed gratia & charitate formatam: Jacobum vero, cum affirmat opera justificare, & non solum fidem, loqui de operibus factis ex fide, & gratia Christi; atque ita unum Apostolum alteri non esse contrarium.

